



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro
singulis Anni diebus**

Complectens Januarium, Februarium, Martium

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 2. De fine hominis. Necessarium est Deum glorificare, eique servire.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60495](#)

Considerationes Christianæ.

Januarius,

tineat, pœnitentiam agere debet; potestne autem eam agere, quin cor suum affligat, quin id vivo, sinceroque dolore conterat? ad peccata sua eluenda sanguinem suum profundere deberet, id vero cum praestandi desit occasio, saltem lacrymis ea suis eluat. Quam parum exigitur, ad salutem æternam consequendam! quanta vero felicitas, eam consequi! o quam liberaliter haec felicitas omnes hasce pœnas compensat!

Pete a IESU Christo per nomen servatoris, quod in hoc mysterio gerit, ut gratiam tibi imprimatur, ejusdem experiendi virtutem, concedendo tibi gratias necessarias ad salutem Consequendam. Decerne simul itate ad eam præparare, quemadmodum IESUS se præparavit, ut gloriosum hoc nomen mereretur.

Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo IESU meo. Habac. c. 3. v. 18.

IESU, esto mihi IESUS, & salva me. Aug.

D I E S. II.

De fine Hominis.

Necessarium est Deum glorificare, eique servire.

I.

Ubi eras ante centum annos? in tuo nihilo, quis inde te extraxit? Deus, qui fin-

pro singulis anni Diebus.

¶

Singulari privilegio , quod mereri non potest, ad Imaginem suam te creavit. At quem in finem te creavit? ut eum glorificares , eum cognosceres , & amares , ei servires , voluntatem ejus faceres , mandata ejus servares. Hæc omnia eodem recidunt. Nam ipsum glorificas , dum eum cognoscis , & amas ; amorem tuum ipsi testaris , dum ei servis. Ministerium , quod a te exigit , est ejus voluntatem facere ; & hanc facis , si præceptis ipsius obsequeris.

II. Deus potuit te non creare : sed posse, quod te creatorus esset, alium tibi finem præfigere non potuit quam seipsum. Ipse non minus necessario ultimus tuus finis , quam Principium tuum est. Adeoque , quemadmodum non potes esse , nisi per ipsum , sic esse non potes , nisi propter ipsum. Atque hæc obligatio tibi a Natura insita est , vel potius , ut sapiens inquit , totam tuam constituit naturam.

Hoc est omnis homo. Sicut ergo homo esse non potes , quin corpus habeas , & animam ; Sic homo esse non potes , quin Deo servire tenearis. Deus ipse quantumvis omnipotens sit , hac obligatione immunem te reddere non potest. Verum quidem est , DEUM tibi tuam relinquere in agendo libertatem , legem suam vel im-

Ecclesiastes 12.

A 3 implem-

6 *Considerationes Christianæ*

Ianuarius.

plendi, vel violandi. Sed, ô infelicem
libertatem! & funestam potestatem! væ
tibi, si cā abutaris!

III. Hoc igitur est *unicum illud necessarium*, de quo servator loquitur. Necessarium non est, ut magna polleas Authoritate, divitijs, sapientia, fortuna; necessarium vero est, ut DEO servias. Necessarium non est, ut sis in hoc vitæ statu, in hoc officio, in hac dignitate; sed necessarium est, ut in ea DEO servias. Necessarium non est, ut commoda utaris valetudine, voluptatibus gaudeas, naturæ doctibus probè sis instructus; sed Necessarium est, ut eas ad DEUM referas. Hic esse debet omnium motuum tuorum scopus, omnium actionum tuarum finis; nec ulla earum est, quæ ad DEUM collimare non debeat. Eheu! inveniturne forsan vel unica in vita mea, quæ unicè ad ipsum directa fuerit? quam multi discedunt è mundo, ignari, cur in mundum venerint? quam multi, cum id nō ignorârint, vixeris, quasi id ignorâissent. An non et ego ex eorum numero sum?

Sæpe te ipsum interroga: Cur sum in mundo? quem in finem DEUS me Creavit? & erubescere, quia hactenus vixeris, quasi hoc non scivisses.

De-

pro singulis anni Diebus.

7

Deum time, & mandata ejus obserua; Januarius
hoc est enim omnis homo. Eccl. 12. v. 13.

Libera servitus apud Dominum, ubi non
necessitas, sed charitas servit: Aug.

D I E S III.

De Cura salutis nostræ.

Negotium salutis est nostrum negotium.

I.

Negotium salutis propriè negotium no-
strum est, quia totum ejus emolumen-
tum in nos redundat. In alijs negotijs raro
ille, qui laborat, fructum laboris refert; certè
raro maximum. Agricola seminat, & me-
tit; at sæpe non sibi. Parens aliquis labori
se impendit, ut divitias congerat, verùm
hoc facit, ut liberos suos diter, quos tamen
frequenter ingratos experitur. Judex ali-
quis sati scharo munus quoddam emit, hoc
est, necessitatem, se Reipublicæ faciendi
victimā, alienis nugis se torquendi. Quid &
hīscē lucratur? Vanum honorem. Qui se-
minat, inquit Servator, non est semper īs,
qui metit. *Alius est, qui seminat, & alius, qui
metit.* Jo. 4.

II. Sed in salutis negotio īs, qui laborat,
solus est, qui totum inde commodum perci-
pit: nemo cum eo partitur; Si seminas, in- *Gal. 6. v. 8.*

A 4

quit